

straret, omniaque ad illam tuendam necessaria sedula perquisitione animadverteret. 1588

M. D. LXXXVIIII.

Guisii Ducis, fratribusque Cardinalis cæde, foederis Principum captivitate, Lutetiæ atque aliarum provinciarum a Rege defectione, per Europam vulgata, insueta inopinataque novitate cunctorum Principum animi perculti sunt; eorum præsertim, quorum incolumitas atque amplitudo a Gallorum rationibus sejungi non poterat. Xystus in primis qua dolore qua iracundia ob necem Guisio Cardinali illatam æstuabat; cumque ejus rei eventum in purpuratorum collegio exponeret, facinus detestatus, in Henricum acerbe invehebatur, quod Romana Ecclesiæ Cardinalem, Remensem Archiepiscopum, sacro Reges oleo inungere solitum, nullo juris, nullo æquitatis ordine, indicta causa, crudeliter necari jussisset, non secus ac si neque Pontifex, neque Romana Sedes, neque jurisdictione aliqua ecclesiastica extaret; eoque acrius, quod ipsum neque factò, neque verbis aliquid in Regem vel regni incolumitatem deliquisse constaret; cumque paucos ante dies a se per literas, perque Hieronymum Gondium oratorem, ut Avignonensem legationem, a qua nuper Borbonius Cardinalis se abdicaverat, Guisio tribueret, Henricus petiisset: si qua in re offenditum se arbitraretur, ab immanni facinore abstinere, sibi meritas illi poenas inflicturo, aut judicium permittere, aut in vincula conjecto, perscribere debuisse: in Gallia cum summa auctoritate legatum Maurocenum esse: cur ab eo tanta in re consilium non cepisset? cur, ne fugam arriperet, veritus, arctiori custodia non adstrinxisset? Addit: pridie ejus diei ad se Regis extra ordinem legatum una cum Gondio oratore accessisse; summis precibus atque obtestationibus veniam pro Henrico efflagitasse; ac, nisi ea impetrata, ab suis se pedibus non discessuros affirmantibus, petiisse, qua ratione Henrico condonari noxam peterent, cum ille in suis biduo ante a se acceptis literis, ne perpetrati quidem delicti mentionem faceret, ne dum veniam deprecaretur? Legatis personam Regis sustinere, eaque in re mandata babere, subjacentibus, subdidis-

1589

Xystus
Pontifex,
ob Guisio
Cardinalis
necem, in
Henricum
Regem in-
vehetur.